This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Educ
1186
2

Educ 1186.2

Harvard College Library

FROM THE FUND OF

CHARLES MINOT
(Class of 1828)



De Scholis, Gymnasiis et Academiis Suecanis deque Studiorum ingenio in illis ipsis quavis ætate cultorum.

Disquisitio Historico-Literaria,

quam

Venia Amplissimi Ord. Philos. Lundensis

p. p.

L. P. BRUNNÉR,
Philos. Magister

et

pro exercitio

ANDREAS ZACHLEBEN,
Calmarienses.

In Acad. Carolina die XVI Junii MDCCCXXXII.

Partis 1:mæ Sectio 1:ma.

LONDINI GOTHORUM,
TYPIS BERLINGIANIS.
MDCCCXXXII.

Viro Reverendissimo et Doctissimo

ISACO ISBERG,

Ecclesiarum Åhs et Wentlinge Pastori vigilantissimo.

Viroque admodum Reverendo præclarissimo

Philosophiæ Magistro

ERICO GUST. BRUNNÉR,

Comministro in Dörby et Kleckeberga,

Primo literarum Institutori

has primitias

dedicatas voluit,

devotissimus,

ANDREAS ZACHLEBEN.

De Scholis, Gymnasiis et Academiis Suecanis deque studiorum ingenio in eis ipsis quavis ætate cultorum.

Sueciæ, sacra quum mutarentur pagana, suæ jam diu fuerant literæ 1) ac scholæ 2); incolæ enim

1) Historia de gentibus septentrionalibus, Authore Olao Magno, Gotho, Archiepiscopo Upsaliensi, Suethiæ & Gothiæ Primate. Antverpiæ MDLXII. Lib. 1. cap. 21. Ab antiquissimo tempore quum essent gigantes in septentrionalibus terris, hoc est, longe ante inventas literas latinas, & antequam Carmenta ex Græcia ad hostia Tiberis, & Romanum solum cum Euandro perveniret, expulsis Aboriginibus gentem illam rudem ac plane sylvestrem mores & literas docerent, habuerunt Aquilonaria regna suas literas. Cujus rei indicium præstant eximiæ magnitudinis saxa veterum bustis, ac specubus affixa. Quod si quis vi gigantea, & vetustissimo seculo patratum ambigat, eo accedat miraque majora ad stuporem usque videat, quam scriptura aliqua polliceatur vel præstet. His itaque res gestas lapidibus imprimentes, sempiternæ memoriæ tradiderunt. Nonnulli etiam pro privatis computis, instar Ægyptiorum variis animalium figuris pro literis utebantur. Quarum similes adhuc Romæ in veteribus obeliscis conspicari licet, in quibus singulæ literæ singula nomina exprimebant, utputa: lupus, avarum: vulpes, insidiosum: apis, regem. Præterea, ut epistolæ papyro inscriptæ nunc inter homines mittuntur ita olim Aquilonares incolæ, literas ligno insculptas pro celebri genere chartarum ad invicem destinabant: immo & nunc non suppedente papyro, in militaribus ca-

regiónum Septentrionalium arma non solum & bella sectabantur, sed magni etiam pacem faciebant; ad quam confugientes, pigritiem & ignaviam odio habentes, literis carmineque animos, medullis hostiarum Deos demulcebant. Quorum pueri juvenesque incolarum stadia currebant, inter se luctabantur & in iis exerci-

stris, aut obsidione urbium, cortice seu codice arboris Betullæ, in laminas immo subtiles bracteas discisso, pro scribendis epistolis opportune utuntur, eoque securius, quo cortex hujusmodi nulla imbrium aut nivium injuria devastatur. Reperiuntur etiam homines septentrionalis plagæ adeo sagacis ingenii, ut quum neque Gothicas neque latinas literas unquam didicerint, sibi ipsis ex rerum figuris & instrumentis alphabeta componant: eisque pro sublevanda memoria in pelle, charta, vel cortice singulariter scribendo utantur. Hocque secretum nullis nisi domesticis communicant, atramentum fieri jubentes ex carbone trito & lacte, vel communi aqua.

2) Majores nostri pigritiem ignaviamque odio habentes *siotiandum esset*, omnes in hoc intendere nervos, *ne otiosi essent, neque suum otium foret otiosum*. Hinc viri feminæque senio confecti, & rebus gerendis vires poscentibus inutiles, sellularias exercebant artes, in juvenibus erudiendis quam plurimum occupatas. Sic alii philosophabantur; alii historias ac fortia facta virorum enarrabant; alii causas ferventis ad modum fori, sed domus suæ, perorarunt. Omnes Þylia i. e. orare, perorare, recensere, repetere, fabulari, dicebantur, sedi insidentes sive cathedræ illis Þularstoli i. e. cella oratoria. Vide Havamal, a Þula, prolixus sermo, oratio. Qui docendi modus literis antiquior sit, necesse est, immo maxime proficuus, quippe in Academiis adhuc servatus. Hinc Þulr, orator, confabulans.

tabantur 3), quæ corpora animosque ad labores suscipiendos & pericula subeunda confirmarent; atque etiam primis ab annis pater filio, multa jam præsagienti, runam 4), fida manu in lapidem

3) Olaus Magnus l. c. Lib. 11. cap. 10. Mos est Septentrionalium populorum, provida quadam sagacitate adolescentes, diversis bellandi exercitiis & artibus castella impugnandi exercere, & excitare, quibus præsertim tirocinia sine cæde, & sanguine, ac quovis vitæ periculo, hæc aggredi putant voluptuosum: & ob id quotannis durantibus nivibus, loco aliquo eminenti turmatim a majoribus excitati congrediuntur adolescentes, conformi labore immensas nivium moles comportantes; e quibus propugnacula ad formam castrensium moeniorum, feriatis saltim diebus solicite fabricant, aqua structuram hujusmodi fenestris distinctam, continuo aspergentes, ut nix cum aqua taliter congesta, accedente frigore validius induretur. Qua diligentia, ut non solum leves ictus, sed æreos globos, atque impulsum testudinum possent sustinere. Quibus paratis, adolescentes prædicti in diversas turmas segregati, pars moenia ingreditur contuenda, pars foris remanet eadem impugnanda. Nec desunt in candidis castris atra seu fusca vexilla. — Aliis armis utrobique non committitur, nisi niveis globis in alterutrum e manu projectis. — Profugas vero & meticulosos pugna excedentes, nivibus dorsotenus inter cutem, vestemque immissis, ubi deprehensi fuerant, insolentibus verbis, ac vocibus punitos absolvunt.

4) Johannis Loccenii Antiquitates Sveo Gothicæ, Lib. II. cap. XIV in fine. Quando et quare runæ abrogatæ erant. — Tandem res eo devenit, ut runæ gothicæ, usui publico ac literario natæ, sed idolatriæ ac superstitioni deinceps adhibitæ, propter tam foedum abusum obliterarentur. Nonnulli

incisam, ore & superciliis eloquentibus gravis interpretabatur insignem: & ut in terra marique regionum pater erat peritissimus, sic nulla nec a patre nec a filio ignorata erant astra, quorum lumina lubricam undarum viam in portum a ventis securum dubio illustrant gubernatori. Scalldi 5) denique, in aulis & in proeliis summi, id apud homines valebant, ut animos in hostem fulmine verbi excitarent & mores

---

suspicantur, runicis literis olim plurima de priscorum superstitiosis exstitisse scripta eaque penitus exstirpari non potuisse, nisi omnes libri de eis compositi penitus abolerentur. Illud factum est ab Olavo Skötkonung in gratiam Pontificis Silvestris II. & Sigfridi, Episcopi Britanni, in Sueciam, ad docendam christianam religionem, evocati, auctores quidam scribunt. Sed nonne potuissent ipsam idololatriam pausatim ex animis hominum, veram religionem instillando, exstirpare potius, quam omnes libros runicos abolere? Ut enim nihil de scriptis runicis idololatricis luce indignis, jam dicam, ecquis dubitet, quin multa egregie scripta, veterum carmina, historiæ, artium præcepta, & alia momenta, ad posteritatem transmitti digna, hoc modo perierint.

5) Loccenius l. c. cap. XV. Habuerunt prisci reges etiam suos Scalldos vel poëtas, qui carminibus majorum gesta celebrabant. Dictos eos volunt a *skall* sono in decantando carmina sua, velut vult Wormius, a *skiellda* i. e. poetice quid describere. Isti Scalldi ex præcipuo gentis suæ sanguine, regibus aliquando a consiliis erant; sueti etiam reges in militiam. Non solum carmina sua componere satis habebant, sed etiam foris in castris, aut domi in conviviis eadem decantabant. Regibus maxime in deliciis erant, & in aulis eorum liberaliter habebantur.

atque ingenia dulcedine carminis emollirent: ænigmata 6) vitæ humanæ cœlorumque loquebantur. Quæ vero in Suecia erant scholæ, literæ, artes, Deorum imagines, templa, quæcunque artium & literarum monumenta, iis cladem funestam intulit clerus catholicus, studio sacro omnia perdendi raptus, quæ sacris Antistitis summi officere videbantur.

Hujusmodi fere verbis, qui historiam literarum atque artium liberalium moris antiquissimi reliquerunt, statum earum ipsarum ea per tempora, quibus animi humani tenebris adhuc obducti erant paganis, depinxerunt: talibusque fere verbis, qui historiam universam vel partes ejusdem tradiderunt, progressus fataque earundem diversa per secula adumbrarunt. Vix vero ulla ab his explicata est causa, cur in quovis ævo literæ & artes ita neque alio modo sese habuerint; nec umquam vis ejus ullas reddiderunt rationes, qua vi in res medias agant literæ, studia humaniora & artes liberales; qua in administrationem reipublicæ, in res privatas, in mores ac ingenia valeant; qua vi res omnes & summas teneant: nec ab his satis rationis eorum habitum est, quæ ad vigorem, ad fastigia floris summa illas juvent; nec operæ satis & curæ de eo adhibuerunt, quid hæ ipsæ

---

6) Gotrici & Rolfi Historia, a Verelio illustrata: Ups. 1664 in notis ad Cap. XII Verelius dicit. Parabolis & ænigmatibus res serias exprimere, majoribus nostris usitatissimum fuit: ingenii sciti & expromti judicatum, talibus adposite uti.

res in calamitatem literarum & artium vicibus alternis efficere possint; ad ingenium denique cujusvis ætatis, ad locorum statum, ad cœlorum rationes, ad libertatem civilem ac politicam, ad opes privatas satis non respexerunt. Quarum rerum nisi ratio explicata sit, literæ non apparebunt. Quare, quantum nos videmus, ita a rerum natura constitutum est, ut artes & disciplinæ literarum universæ & ipsæ inter se, si ad originem illarum ipsarum, progressus & floris fastigia summa respicimus, intimo quodam mali fatalis vinculo adeo sint una conjunctæ, ut sorores, necessitate urgenti natæ, a meditando nutritæ & cultæ, quibus demum manum summam imponit ingenium, jure sint appellatæ, & si una vel alteræ in conflictu inter se vel rerum aliarum, quæ in ipsas agunt, occidant, in perniciem communem ceteras trahant & se invicem perdant. Quarum vero disciplinarum & artium successus boni vel adversi exitus, si diversas excipimus causas, quæ vel a Minerva invita vel ab aliis, quæ paullo post propius considerabimus, prodierunt, de vi religionis & eorum, quæ a nobis jam sunt allata, omnino quidem pependerunt: præ ceteris vero in ingenio studiorum, quæ in literariis institutis coluntur vel culta fuerunt, positum est, qualis sit vel fuerit literis facies per secula. Quare, quum aliquid scriberemus & Amplissimæ Facultati Philosophicæ bona voluntate parituri ederemus, nihil amplius, nihil Academia Carolina dignius, nihil antiquius duximus, quam ut veterem institu-

torum literarum antiquissimorum ac novissimorum memoriam, ingeniumque & vim studiorum in illis ipsis quavis ætate cultarum perscriberemus. Non equidem ii sumus, qui nesciamus, quantæ molis opus movemus; igitur itineribus non maximis, quod nobis proposuimus, persequemur; mente vero bene composita & ad quamque rem, quæ occurrit & quam ipsi novimus, attenta, gradatim, libero judicio, libera & bona voluntate, quæ animus & ingenium suppeditant ac jubent, quæ in votis habemus, lente festinantes prudenter eloquemur.

Per secula longa iter molientes & facturi, ut mansiones quasdam eligamus, necesse est: igitur iis, quæ statum scholarum literarumque, ea per secula, quibus mentes humanas religio pagana tenebris obducebat, constituunt, explicitis & ipsis literis, temporibus illis immorabimur, quibus transitus in religionem christianam & catholicam factus est: inde ad secula, quibus regna Septentrionis tria in unum conjuncta erant, contendimus; per funera denique Unionis Calmariensis progressum continuantes & properabundi in religionem purgatam devenimus, ubi quæ ulteriores mansiones sint eligendæ, videbimus.

§. 1. Quum in florem literarum non parum adjuvat felix locorum status & salubritas cœlorum, a re nostra alienum non ducimus nec injucundum, qua apud exteros temporis antiquissimi famæ celebritate Suecia fuerit videre. Per experientiam vero itinerum & testi-

monia oculorum illum exteri antiqui moris non utique cognoverunt; sed traditionibus ducti & viva imaginandi vi donati quæ ipsi acceperant aliis narrarunt, quo mirabiliora eo acceptiora. Quæ a Ptolomæo, Pythea, Pomponio Mela, Strabone, Plinio secundo, Tacito cum ceteris, de populis septentrionalibus narrata sunt & quæ ipsi legimus, si in unum colligimus, hanc sententiarum summam facile eruemus: supra aquilonem ventum, supra Rhiphæos montes sua sunt Hyperboriis, incolis septentrionalibus, domicilia, qui sunt mortalium felicissimi & justissimi, bonis continuæ pacis fruuntur, vitam in consortio Deorum, saluberrimi sub regione cœli, in pratis semper virentibus, in regione terrarum agunt, quæ duplicem fert per singulos annos messem; in qua illos fragilitas senectutis, nisi post secula intermissa, non adficit; vivendo tandem satiati, capitibus honore coronarum ornatis, post læte actum festum diem, de saxis in æstus maris sese præcipites fortiter agunt. Cum Græcis præcipueque cum Atheniensibus ac incolis Deli, insulæ, Hyperborei antiquo amicitiæ vinculo & religionis, consanguinitate & donis, erant conjuncti, qui sacrorum Apollinis antistites habiti, illum præ ceteris colebant; anno enim noven-

---

7) Herodoti Halicarnassei Historiarum Libri IX. Ed. Stereot. Tom. II Lib. IV cap. 16 ab initio: *τησ δε γησ, τησ πέρι όδε ό λογοσ ορμεται λεγεσθαι, ουδεισ οιδα ατρεκεσ, ό, τι τό κατύπερθε εςτι. ουδενοσ γαρ δη αυτοπτεω ειδεναι φαμενον δυναμαι πυθεσθαι.*

decimo singulo salutatum Apollo in insulam reveniens ipse saltando, ludendo cantandoque nocturnis præest solennibus, atque ab æquinoctio vernali ad ortum Plejadum inter illos moratur. Illa de populis 8) & de religione, hæc de terris septentrionalibus enarrabant: e regione terræ celticæ, in Septentrione altissimo insula 9) est, ubi luna terræ adeo longe pro-

---

8) De Hyperboreis lege Herodotum Lib. IV a cap. 32 ad cap. 37. Pindari Carmina. Ed. Stereot. Lipsiæ. Olymp. Carmen III v. 28: *Δαμον Ὑπερβορεων πειςαισ, Απολλονοσ θεραποντα.* Pomponius Mela Lib. III cap. II. "Super Albin codanus, sinus ingens magnis parvisque insulis refertus est. L. c. cap. V. Primi Hyperborei, super Aquilonem, ventum, Rhiphæosque montes, sub ipso siderum cardine: ubi sol non quotidie, ut nobis, sed primum verno æquinoctio exortus, auctumnali demum occidit: & ideo sex mensibus dies, & totidem aliis nox usque continuata, est. Terra augusta aprica, per se fertilis. Cultores justissimi, & diutius quam ulli mortales & beatius vivunt. Quippe festo semper die læte non bella movere nec jurgia: sacris operati maxime Apollonis: quorum primitias, Delum mississe, initio per virgines suas, deinde per populos, subinde tradentes ulterioribus, moremque eum diu, & donec vitio gentium temeratus est, servasse referuntur. Habitant lucos silvasque, & ubi eos vivendi satietas magis quam tædium cepit, hilares, redimiti sertis, semetipse in pelagus ex certa rupe præcipites dant.

9) Multa fuerunt Sveciæ nomina. 1) Scythiæ nomen fuit terris Septentrionis commune, & antiquissimi temporis scriptores peregrini, qui-

xima est, ut extremitates atque cavitates, quæ in superficie illius sunt, discerni possint; quæ insula placidæ est naturæ & feracitatis uberrimæ; nec navi nec pedibus inveniemus in so-

---

bus versus Septentrionem domicilia sua erant, eos Scythas appellaverunt. Itaque Suecia pars erat Scythiæ. Strabo refert, se apud Ephorum legisse, "Scythiam regionem aquilonarem Æthiopiæ oppositam esse." Plinius secundus, Lugduni MDCVI. Lib. VI. cap. XIII ab initio: "Ab extremo Aquilone ad initium Orientis æstivi Scythæ sunt." Peregrino nomini Scythiæ respondet domesticum 2) Svithiod *hin' mikla*, de quo memorat Snorro, filius Sturlonis in Ynglinga-Saga. Heims Kringla &c. opera & cura Johannis Peringsköld. Stockholmiæ MDCXCVII. Ynglinga Saga cap. 1. "Enn Norþan at Svarta Hafe gengur Sviþioþ hin mikla; Sumer jafna henne wiþ Blaland hit mikla. Hinn norþri lutur Sviþioþar liggur obygþur af froste oc kulda, swa sem hinn Syþre lutur Blalands er auþur af Solarbruna. — Or noþre fra fjöllum þeim er for utann ero bygþ alla, fellur A um Sviþioþ su er at retto heiter Tanais, hon war forþom köllut Vanaquisl, hon kemur til Siavar inn i Svarta Haf." 3) Germaniæ magnæ nomen Sueciam, Norvegiam, Finnlandiam & Lapplandiam in se habet; quod apud Ptolomæum, Tacitum, Pomponium Melam ac Solinum videamus licet. Qui Germaniam versus arctum incolebant, omnes populi a Romanis Germani appellati sunt. 4) Scandinaviæ nomen omni septentrioni est quod non solum Sueorum & Gothorum regna, sed etiam Norvegiam & danicas insulas complectitur. 5) Norrmaniæ nomen temporis est recentioris, quia in ævo medio ante admissam religionem Christi primum usitari coeptum est. Qui per secula nonnulla Britanniam Hollandiam, Belgiam Galliamque depopulando

lennia admiranda Hyperboreorum viam. Sed Majores nostri nugis & fabulis non immorandum esse censuerunt; quare pedem hic sistemus: tria vero circa cognitionem terrarum borealium antiquam a nobis sunt observanda. 1) Septentrio temporibus antiquissimis parvo distat a terris meridionalibus intervallo: "supra Pontum" dicitur, "supra Rhiphæos montes," qui Alpes erant continuati & ab initio temporis in occidenti positi erant. 2) Septentrio

---

vexabant, Vikingi celebres, de terris Sueciæ, Norvegiæ & Daniæ devenientes, ab exteris Norrmanni appellati sunt, & patria eorum Norrmannia nominata est. 6) Scandiæ vel Scanziæ nomen apud scriptores Græcos & Romanos usitatum est nec ejusdem est magnitudinis ac Scandinavia. Ptolomæus Lib. II cap. XI in fine: "Ab orientali parte Chersonesi (Cimbricæ) quatuor (insulæ) Scandiæ nuncupatæ, tres quidem parvæ, ex quibus ea quæ media est, partes habet 41½; 58. Una vero, quæ maxima earum est, & maxime orientalis, juxta Vistulæ fluvii ostia, cujus quidem occidentalissima partes habet 43—58; ejus maxima orientalis pars 46—58; pars maxime septentrionalis 44½—58⅔; pars ejus meridionalis 45—57⅔. Vocatur autem & hæc proprie Scandia. 7) Svithiod & Gauthiod Sueciæ nomina originis domesticæ. Inde Majores nostri a Tacito Suiones nominantur & de Gautigot Jornandes memorat. 8) Balthia sive Basilia Suecia a Didoro Siculo, Pythea Massiliensi, & Tacito vocatur. 9) Thule insula. Ptolomæus Lib. VIII cap. II. "Thyle igitur insula maximam diem habet horarum æquinoctialium 20. Distat ab Alexandria occasum versus horis duabus. L. c. cap. LXXIII. Eodem modo (ac in

cum occidenti erat conjunctus, adeo ut Septentrio inter arctum & solem occidentem spectaret. Occidenti vero navigationibus Phoenicum & Carthaginiensium acuratius cognito, 3) Septentrio in ortum solis translatus est, adeo ut ille in orientem solem & arctum vergeret. Eodem modo montes Rhiphæi locum mutabant, qui antea versus occidentem & septentrionem locum habuerant, jam vero in ortum solis & arctum vergebant; quos montes apud Snorronem, filium Sturlonis, in ea illorum descriptione, quam reliquit, recognoscimus 10).

§. 2. De Gubernatione rerum universarum quid cogitarent Majores nostri.

Prisci incolæ Scandinaviæ antiquæ ii omnino non erant, apud quos in omni rerum gu-

---

Britannia) fieri in Thule insula Pytheas Massiliensis scripsit: VI dierum navigatione in Septentrionem a Britannia distat. Strabo Lib. I. cap. XLVII. "47 ab extremis Æthiopibus usque Thulen latitudinem duo." Pomp. Mela. Lib. III. cap. VI. "Thule Sacarum litori opposita est, Grajis & nostris celebrata carminibus. In ea, quod ibi sol longe occasurus exsurgit, breves utique noctes sunt; sed per hiemem sicut alicubi obscuræ; æstate lucidæ, quod per id tempus jam se altius evehens, quamquam ipsa non cernatur, hieme tamen splendore proxima illustrat, per solstitium vero nullæ, quod tum jam manifestior non fulgorem modo, sed sui quoque partem maximum ostentat."

10) Heims Kringla. Ynglinga Saga. "Or norþre fra fjöllum þeim er for utann ero bygþ alla."

bernatione dijudicanda concentum & ordinem certum expectare possemus. Ut vero de religione sit apud mentem humanam reputatio, maxima quidem non opus est eruditio. Patet enim populos, cultura omni rationis carentes; ubicunque ab illis vires agentes sunt animadversæ, naturam sedulam & intelligentem observasse; namque interioris rerum universarum connexionis nescii, causas rerum raro, nec nisi sorte, deprehendere possunt. Nec facilis in causas intelligendas ipsis aditus patebat; dii enim ipsi non solum procellis, ut eæ sævirent, maribus, ut ea extra litora diffluerent, frugibus, ut eæ in agris arescerent, veniam dabant; sed fata etiam perpendebant humana, sibique caris vitam quam longissimam numerumque dierum lætorum maximum concedebant, in inimicos sibi fortunam adversam & mortem prœmaturam immittebant; nec vitia ab infortunatis commissa unicuique satis patebant. Quamdiu autem vires intellectus humani adhuc tantum in incunabulis vigent, quæ secum reputant homines, repugnantias non solutas, maximas involvunt, quibus itaque consensus & certus ordo desunt. Ut autem magni est momenti has deorum potentium voluntates sibi exploratas habere, ita homines rationis incultæ in illas exquirendas viam esse facillimam sibi in animum inducunt; quo enim obscurior & restrictior hominibus est cognitio de se & rebus, quarum in medio illi sunt positi, eo faciliorem ad deos, cognoscendos aditum esse opinantur. Quæ quum ita sint, adhuc tamen homi-

nes ad cognitionem numinum divinorum, perfecte & absolute moralium, mentem, in terra humili defixam, allevare non possunt; sed honorem coelorum deis detrahunt, ut propiores sibi factos, illos melius intelligant. Sibi enim fingunt Deos viribus, conditionem humanam longe superantibus, ornatos, sed infirmitate voluntatis humanæ circumscriptos. Quo fit, ut quæ in voluntate humana inest dissensio, eam numini divino attribuant. Homini autem pronitas innata est ea sectandi, quæ voluptati sibi sunt, eaque e contra aversandi, quæ fastidium movent; jamjam rectum & injustum discernit. Quod vero in certa quadam occasione jus sit, de eo utique in terris diversis, temporibusque variis, sententiæ inter se sæpissime discrepant; quod vero justum esse confitentur, ei adprobationem dant, quodque injustum est, damnant toti. Ponamus nimirum nullum sui studium judicia, quæ ferentur, tenebris obscurare; quum autem illud fit: quam apud alios agendi rationem, sub illo saltim temporis momento, injustam ducunt, ei apud se adsentiuntur. Igitur quæ ipsis est duplex & ambigua sentiendi ratio, eam illi deis attribuunt: hi enim modo spectatæ fidei ac virtutis homines præmiis adficere, in impios poenis animadvertere, modo amore nimio, invidia atque iracundia ducti agere videntur.

Multo vero majores in religione Scandica repugnantiæ occurrunt. Majorum enim nostrorum, ante admissam religionem Christi, de religione cognitio, si de materia scientiæ tam

augusta modo philosophico argumentemur licet, tribus rem divinam exponendi modis composita videtur.

Patet incolas terrarum septentrionalium, ut Græci sub nomine Jovis & fratrum illius priscos reges adorabant, ita Odino & comitibus illius, perigrinis, Asia oriundis, qui auctoritatem fraude sibi comparabant, honores divinos attribuisse.

Incolis Scandinaviæ quoque sua erant cosmogonia ac philosophemata, quæ appellantur, quæque ad Odinum, filium Fridulphi, non attinentia, ab oriente sole originem duxisse videntur. Quam ob rem XII majorum gentium dii non erant, sed, ut in variis originis orientalis religionibus se res habet, tantum III. Odinus 1), Vile ac Ve vel Har, Jafnhar & Thridie. Creatio mundi & origo deorum de-

---

1) Ethica Odini pars Eddæ Semundi vocata Havamal, islandice & latine in lucem producta per Petrum Joh. Resenium Havniæ 1665. V. Dæmesaga. "Hann gat Son thann er Bör er neffndur. Hann fieck theirrar Konu er Belsta er neffnd, Dötter Bergthörers Jotuns, og gätu thang thriä Sonu, hiet eirn Odenn, annar Vile, Ve Fabula II. "Huornenn Gylfe vard margra Hluta wys." — "Thar sä hann thriu Häsæte huort upp frä Ödru, og sat sin Madur i huoriu, og spurde hann huort Naffn theirra Höffdingia theirra være, sä suarar er han leidde inn ad sä er i hinu Nedsta Häsæte, uar Köngur, og hiet Här, enn sä er næst er hiet Jaffnhär, enn sä offarst er hiet Thridie."

scribitur; vestigia non pauca Deorum bonorum & malorum deprehenduntur (filii Bœri & Hrimthussarum genus); hi inter se luctantur, Ormuzd & Ariman non dissimiles. Dei boni victoriam reportant, mite terrarum imperium gerunt, ad usque Ragnaraukr, vel tenebras deorum, ubi dii & homines cum mundo una comburuntur. Terra autem nova in lucem prodit, quæ a genere hominum novo incoletur, dum justi lætam in Gimle agant vitam, & in Nastrondr 2) impii crucientur.

---

2) XLIX. Dæmisaga. "Margar verda vister gödar, og margar illar efter thesse tijdende; best er thä ad vera ä Gimle, og allt gott er til alls gods Dryckiar i theim Saler Brimer heiter, hann stendur ä Okolni. Sä er og gödur Salur er stendur ä Indafjöllum, gjör aff raudu Gulle, sa heiter Sindri, i thessum Sölumm skulu byggia göder Menn og Sidläter. A Näströndumm er mykell Salur og illur, horffa nordur Dyr, hann er offenn allur vi Orma Hryggium, enn höffudenn öll vitu inn i hused og bläsa Eitre, suo ad efter Salm renna Eiturär, og vada thær Aar eidroffar og Mordvargar, suo sem hier seiger.

Sal Weit eg standa
Sölu fiærre,
Nä Ströndum A,
Nordur horffa Dyr
Falla Eitur Dropar
Inn vmm Liöra
Sä er Vndur Salur
Orma Hryggium

Skulu thar vada
Thunga Strauma,
Menn Mein suarar
Og Mordvargar
Enn i Huergelme
Er vest thui thar
Kvelur Nijdhöggur
Nai frammgeingna.

Educ 1186.2
De scholis,gymnasiis et academiis S
Widener Library 007192609
3 2044 079 700 613